

Lib. IV. Tit. I.

De in integrum restitutionibus.

§. 1. Definitio : *Restitutio in integrum* est, qua læso, præcedente causæ legitimæ cognitione, ex æquitate Prætoris pristinum jus, resve stricto jure amissa reparatur. Quod fit, non duplici judicio, *rescindente & rescissorio*, sed uno eodemque, triplici casu:

1. rescissione ejus, quod gestum est, nudâ, Prætoris ex officio cognoscente.
2. restitutione rei amissæ s. officio Prætoris s. actione speciali edicto Prætoris propositâ.
3. restitutione amissi juris agendi, quæ fit non præmisso certo decreto judicium distinctum constituyente, sed dum Prætor læso nudè dat actionem, quâ solâ judicium totum absolvatur.

§. 2. Efficiens. Restituere potest in integrum ille, qui Jurisdictionem habet excellentiorem.

Olim soli majores magistratus: *hodiernis moribus* omnis *Magistratus* jurisdictionem habens, sed *competens* ei adversus quem petitur, spectato foro domicilii, non contractus, interdum etiam foro rei sitæ.

§. 3. Requisita:

1. Læsus ipso jure non sit tutus.
2. non habeat remedium ordinarium æquè plenum ac pingue.
3. habeat veras causas, quarum nomine subveniri petit, quales sunt *Metus, Vis, dolus, Læsis*, quæ contingit vel per *status mutationem*, vel per *alienationem* judicii mutandi causâ: quamve quis patitur vel *in minorennitate*, vel *absens* aliòve *impedimento* irretitus.
4. si res non sit minima.

§. 4. Effectus. Restitutio

1. *Postulata*, sistit ulteriorem progressum status adversi, donec controversia finiatur: nisi malitiosè postuletur restitutio.
2. *Obtenta*, tandem omnia reducit ad pristinum statum.

Tit. II.